Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

magnam quam exercuerat dominus contra eos. Timuitque populus dominum et crediderunt
domino et moysi servo eius. Tunc cecinit moyses et filii israel carmen hoc
domino et dixerunt. Tract. Cantemus domino gloriose enim honorificatus est
equum et ascensorem proiecit in mare. adiutor et protector factus est mihi dominus in salutem. ℟.
Hic deus meus et honorabo eum. deus patris mei et exaltabo eum. ℟. Dominus conterens
bella dominus nomen est illi. Oremus. Deus cuius antiqua miracula
in presenti quoque seculo choruscare sentimus presta quesumus ut sicut priorem populum ab
egyptiis liberasti hoc ad salutem gentium per aquas baptismatis operis. Per do[minum]
Apprehendent septem mulieres virum unum in die Lectio tertia
illa dicentes. Panem nostrum comedemus et vestimentis nostris
operiemur tantummodo invocetur nomen tuum super nos aufer obprobrium nostrum.
In die illa erit germen domini in magnificentia et gloria et fructus terre subli-
mis et exultatio hiis qui salvati fuerint de israel. Et erit omnis qui relictus
fuerit in syon et residuus in ierusalem sanctus vocabitur omnis qui scriptus
fuerit in vita in ierusalem. Si abluerit dominus sordes filiarum syon et sanguinem
ierusalem laverit de medio eius. spiritu iudicii et spiritu ardoris. Et creavit
dominus super omnem locum montis syon et ubi invocatus est nubem per diem
et fumum et splendorem ignis flammantis in nocte. Super omnem enim gloriam
protectio et tabernaculum erit in umbraculum diei ab estu et in securitatem
et absconsionem a turbine et a pluvia. Tract. Vinea facta est dilecto in
cornu in loco uberi. ℟. Et maceriam circumdedit et circumfodit et plantavit vineam
sorech et edificavit turrim in medio eius. ℟. Et torcular fodit in ea. vinea enim
domini sabaoth domus israel est. Oremus. Deus qui nos ad celebrandum
paschale sacramentum utriusque testamenti paginis instruis da nobis in-
telligere misericordiam tuam ut ex perceptione presentium munerum firma sit expectatio
Hec est hereditas servorum domini et L. iiij. C. futurorum per
iustitia eorum apud me dicit dominus. Omnes sitientes venite ad